

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 117

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Notum sit tam presentibus quam futuris, qualiter facta sit inter abbatem Herosfeldensem Fridericum et abbatem Solitariensem Ebonem vicaria commutatio quorundam hominum. Tradidit enim supradictus abbas Ebo per manum advocati sui Marcwardi undecim de familia sanctae Marie super altare domini, ubi iacet corpus sancti Wigberhti, cui per manum advocati sui Gisonis redonavit Fridericus abbas Herosfeldensis duodecim de familia sancti Wigberhti. Isti sunt, qui dati sunt sancto Wigberhto vicaria commutatione optimo iure precipuorum servientium: Godebolt clericus, Richolf, Liudolf, Adalbero, Ramvolt, Waltger, Dieppolt, item Richolf, Heriman, Richeit, Muda; pro quibus redditi sunt isti: Adelbero, Gunzelin, Wolueram, Hildimar, Eppelin cum filia sua Methilt, Bubo, Luizeciht et sorores eorum. Huius rei testes sunt qui presentes fuerunt: Reginhart et Guntherus prepositi simulque tota Herosfeldensis congregatio, Giso advocatus, Marcwart advocatus, Meginfridus comes aliique multi nobiles viri Wigant, Folbraht, Sigebodo, Engilbolt, Wihgbodo, Ruthart, Eberhart, Adelberhtus; et de servientibus sancti Wigberhti testes sunt isti: Luideger, Berhtolt, Arnolt, Heinrich, Unewan, Adelhart, Dietmar, Arnolt, Udalrich, Emelrich, Widerat, Berenger. Acta sunt haec anno ab incarnatione domini millesimo XCVIII, VIII kal. septembris, indictione VII, regnante Heinrico imperatore tercio.